

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

**Johannis Mulmanni, SS. Theol. dum viveret, Licent.
ejusdemq[ue] Prof. Publ. ord. ad D. Nicolai Archi-Diac. &
Alumnorum Electoralium Ephori, in Academia & Ecclesia
Lipsiensi, Commentarius In Librum ...**

Mülmann, Johann

Dresdæ, MDCCI

VD18 10367071

Caput XXI.

urn:nbn:de:gbv:45:1-18377

IV. De officio agnatorum in casu interfecti amici.

Cum in textu v. 3. proximus vocatur ultor sanguinis, admonemur, decere agnatos cædem amici legitimi magistratus subsidio vindicare. Hinc in Jure civili indignus est hæreditate defuncti, qui interfecti necem vindicare negligit, *de his, quibus ut indignis* c. l. 35. tit. & alibi. Non diligit proximum, ut se ipsum, qui eum non defendit, ut seipsum. Propterea *Solon* beatam dicitavit Rempub. in qua quisque alterius injuriam suam existimaret: Et laudatur *Moses* Act. VII. 24. quod injuriam facientem vindicavit Ægyptium occidendo. Exod. IV. 12.

CAPUT XXI.

Distribuantur & designantur jam Levitis certa hospitia, in quibus populo necessarium victum liberaliter suppeditante, citra rerum Oeconomicarum curam ac molestiam cultui sacro commodè operam dare possint. *Partes sunt tres.*

In I. enumerantur distributionis hujus causæ.

II. exprimuntur urbes distributæ.

In III. ponitur Conclusio.

Prima pars innuit I. *causam impellentem*. Impellunt autem ad hanc distributionem principes Levitarum, mandatum DEI distributoribus proponendo, v. 1. & 2.

II. *Causæ instrumentalis* vicem obeunt Eleasar, Josue & duces cognationum. Nam per hos facta fuit distributio.

III. *Effe-*

III. *Effectus impulsione* est ipsa distributio urbium inter tribus Leviticis, quæ sunt numero 3, videlicet tribus Caath, Gerson, Merari: Isti enim sunt 3. filii Levi Gen. XLVI, 11. Num. III, 17. Familia Caath subdividitur in duas familias: una dicitur familia Caath filiorum Aaron Sacerdotis v. 4. altera vocatur familia reliquorum filiorum Caath v. 5. Nam Caath genuit 4. filios: Amram: Isaar: Hebron & Oziel: Amram genuit vicissim Aaronem & Mosen Exod. VI, 18. Aaronis filii constituunt familiam sacerdotum, propterea quod his sacerdotii cultus sit demandatus Num. III, 10. At reliquis omnibus ex filiis Caath i. e. Amramitis cæteris: Isaaritis: Hebronitis: Ozielitis, alia inferiora officia, in tabernaculo Domini administranda committuntur: Horum numerus exprimitur 2750. Num. IV, 36. De officiis Gersonitarum vide ibid. v. 34. Meraritarum verò v. 31.

Secunda pars continet enarrationem urbium pro conservatione & sustentatione sacri ministerii collatarum, à v. 9. usque ad v. 41. Ubi notantur hæc:

1. *à quibus* tribubus datæ sint urbes.
2. *Quibus* Levitis datæ sint.
3. *Quæ & quot* fuerint.

Conclusio constat repetitione rerum generalium & specialium. *Ad speciem* refertur distributio urbium Leviticarum, quarum summa colligitur v. 42. *Ad genus* spectat terræ Canaan beneficium, quod quantum sit, ostendit autor.

1. *ἀνεῖναι* per hæc verba: *Dedit: possederunt: habitaverunt.* Nam *possidere* plus est quam *dare: habitare* plus est, quam *possidere*: Nam hoc significat rei
Eeee do-

dominium acquirere: illud verè præ se fert firmum & diuturnum dominium seu mansionem in re possessa, ut apparet ex cap. 1. Jos. v. 15. ubi duobus tribubus & dimidiâ promittitur reditus in terram possessionis suæ, ut in ea habitent, cum tamen eam jamnum actu possiderent.

2. αἰτιολογία i. e. enarratione causarum.

1. *aut* terræ datæ est Deus v. 43.

2. πίστις est fides Dei, principibus Judæorum data & juramento confirmata.

3. *Formalis* est tranquillitas & securitas possessionis v. 44. Ac notetur hîc ulterius causa pacis duplex: *una* *privativa*, quæ est in hostibus impotentia resistendi v. eod. *Alter* *positiva* est hostium in servitutem redactio.

4. *Causa finalis* seu effectus est divinarum promissionum adimpletio, v. ultimo.

v. 1. *Accesseruntque principes familiarum Levi*) Hebr. ראשי אבות) *Capita patrum*. Familiæ Levitarum præerant principes duplicis ordinis, superioris & inferioris. His incumbabat inspectio familiæ in ordinandis castramentationibus & similibus: illis autem incumbabat inspectio sacri officii: Hos dixeris politicos principes: illos verò Ecclesiasticos. Exempli gratia Num. III. Gersonitarum princeps inferior erat Eliafar v. 25. Superior vero Ithamar (filius Aaronis) Num. IV, 28. Meraritarum inferior princeps erat Suriel v. 34. Superior verò iterum Ithamar Num. IV, 33. Caathira-

ruo

rum inferior princeps eras Elifaphan, Num. III, 30. Princeps autem omnium principum fuit Eleazar, cui tanquam Summo Inspectori omnes alios principes officii administrati rationem reddere oportebat.

v. 1. *Ad duces cognationum*.)

videtur dubitari posse, an hic textus de 13. illis distributoribus terræ intelligendus sit, qui supra cap. 19, 51. & Num. 14, 18. principes familiarum appellantur: ara verò de principibus omnium tribuum exponendus sit: Sed res plana est consideranti finem petitionis Levitarum, qui nihil aliud quæerunt, nisi ut legitimo modo sibi quoque loca ad habitandum necessaria definiantur: id quod per 12. principes tribuum, penes quos ea de re iudicium erat, omninò fieri oportuit.

v. 8. 13. 14. 15. 16. & c. *Suburbana earum*.) Hæc *Suburbana* nihil aliud sunt, quàm pascua, quippe quæ non indigent agriculturæ Levitis prohibitæ exercitiis & laboribus: Complectebantur autem ad singulas mundi plagas 2000. cubitorum, Num. 25, 4. Quapropter vineæ, agri, horti, villæ & similia, quorum sine rustico opere non est usus, relinquebantur illis fortibus seu tribubus, unde urbes sacris ministris essent collatæ, quemadmodum apparet ex v. 12.

QVÆSTIO I.

An distributio urbium Leviticarum sit tempore posterior distributione urbium refugii?

Resp. quod sic: Nam urbes refugii dantur Levitis,

Eccc 2

vide



vide vers. 11. 21. 27. 32. 36. & 38. Ergo urbes refugii prius distributæ sunt. Et per Conseq. in ordinatione hujus & præcedentis capituli nullam agnoscimus

ὑπερλογίαν.

Contra.

Urbes refugii jubeantur separari de urbibus Levitarum.

E. harum distributio prior est.

Antecedens prob. Num. 35. 6. de ipsiſ oppidis, quæ Levitis dabitur, erunt in fugitivorum auxilia separata.

λύσις.

Resp. Iste locus non dicit, quo ordine vel unde facta sit separatio, sed quid separatum sit. *Textus Hebræus* sic habet: *Urbes, quas dabitur Levitis, sex urbes refugii* (scilicet erunt) *quas dabitur ad fugiendum illuc.*

QVÆSTIO II.

An pluribus major & paucioribus minor data sit possessio?

Resp. *Maximè.* I. Quia hoc postulat proportio.

II. Quia hoc expressè mandatur Num. 26. 25.

Pluribus majorem partem dabis, & paucioribus minorem.

Negatur.

Contra tales instantiæ dari possint: Multitudo tribus Isaschar magna erat, continens sexaginta quatuor mille & trecentos homines, & accipit tantum urbes 17. Jos. 19. Sic tribus Zabulon habet sexaginta mille & ducentos, & in hæreditatem capit duntaxat 12. urbes. Tribus Dan habet sexaginta quatuor mille & quadrin-

dringentos, & accipit urbes 16. At numerus Levitarum est viginti trium mille hominum saltem & accipit 48. urbes: Cum etiam earum dimidium proportionem excederet.

Resp. Diversa ratio urbium exæquat proportionem. Nam urbibus Levitarum adhærebant nuda, suburbana eaque certis passibus definita. At quas aliæ tribus accipiebant, ad eas agri, horti, vineæ, villæ, & alia pertinebant. Quia itaque impar erat etiam villarum & agrorum conditio, factum est, ut populosior tribus posset contenta esse paucioribus urbibus, quæ scilicet villis & quidem melioribus abundaret. Exempli gratia, Zabulon complectebatur sexaginta mille & ducentos homines, sed accipit 12. urbes. Simeon verò viginti duorum mille & ducentorum multitudinem continet & accipit urbes 16. Quare proportio distributionis non consistit in multitudine urbium, sed in locorum capacitate: Sic enim expressè legitur Num. XXXIII. 54. Terram dividetis vobis sorte, juxta familias vestras, pluribus dabitur latiore & paucioribus angustiore: singulis ut fors ceciderit.

QVÆSTIO III.

*An Deus Israelitis omnem terram
promissam dederit, ita ut habitarent
in ea?*

Affirmatur expressè in v. 43.

Negatur.

Si Deus Israelitis tempore Josuæ omnem terram promissam dedit, ut in ea habitarent, sequitur, post Josuam

Eeee 3

suam



suam nihil terræ relictum esse Philistinis, Cananæis, Hevitis &c. Nam & horum terram promiserat.

Sed consequens est falsum.

E. & antecedens.

Assumptum prob. ex Jud. III, 1. ubi Israël dicitur habitasse in medio illorum.

Λύσις.

Responsum est quidem ad hanc objectionem supra cap. XIII. Hic ἐκ ἀριστίας duo addo:

In verbis textus quidam agnoscunt *synecdochen temporis*. Nam propter certitudinem eventus annumerantur futura presentibus, more prophetarum, qui res futuras plerumq; tempore præterito efferunt: Ut Es. IX, 5. *Puer natus est nobis* i. e. nascetur.

II. Intelligenda sunt verba cum appendice & restrictione modi, in promissione divina expressi. Exod. XXIII, 29. *Non ejiciam eos a facie tua anno uno*. Et Deut. VII, 32. *Non poteris gentes delere pariter* i. e. una vice.

LOCI COMMUNES

Theologici.

I. De stipendiis & salariis ministrorum divini cultus.

I. Non est prohibitum nec avaritiæ scelus, si minister verbi mercedem debitam exigit. Hoc enim principes Levitarum citra omnem culpam faciunt, a sacerdote summo & capitibus tribuum petentes urbes ad habitandum, idq; juxta præceptum Domini. Et Paulus expressè fatetur. 2. Cor. II, 8. *Ceteras, inquit,*
Ec-

Ecclesias deprædatus sum accipiens obsonium i.e. stipendium ab illis, quò vobis inservirem? Sed hoc ingrato seculo res ministerii eò rediit, ut si qui res omni jure ad se pertinentes poposcerit, illicò audire cogitur, avaritiam Clericorum esse inexplebilem, interea hujus seculi filiis nihil non per fas & nefas ad se rapientibus.

Nonnulli ministros tali sophismate audent explodere: Matth. X. 8. Christus dicit: *Gratis accepistis, gratis date.* Et Paulus 2. Cor. XI. 7. *Gratis Evangelium DEI evangelizavi vobis.* Ergò inferunt, ministri verbi non debent postulare aut accipere mercedem.

Resp. 1. Christus in hoc præcepto non taxat debiti pretii sive exactionem sive solutionem: sed ἀίρεσις, de qua scriptum est 1. Per. V. 2. & Tit. I. 7. 1. Tim. III. 3. ut si quis non ἀεθύτως ex vocationis necessitate (1. Cor. IX. 16.) sed turpis quæstus captandi gratia doceat. Opponitur ergò particula δωρεάν gratis non honesto ἀιδανίως: sed turpi lucro.

2. Salaria ministrorum non sunt pretia pro Evangelio prædicato, quod DEUS gratuitum donum esse vult, nec venale exponi, sed sunt partim necessaria media, unde ministerium sustentetur, partim sunt terrenæ compensationes laborum ac difficultatum. sine quibus verbum prædicare non licet. *Exemplum Pauli* quod attinet, exponendum est illud non de jure, sed de facto. Quod enim sibi licuerit pro labore docendi pretium sive ὀψώνιον exigere. quod tamen exigere noluit; manifestum ex 1. Cor. IX. 5. *Nonne habemus potestatem manducandi & bibendi? v. 12. sed non usi sumus hac potestate, sed omnia sustinemus* Et 2. Thess. III. 8. *Neque gratis accepimus panem ab aliquo, sed cum*

la-

labore ac sudore, nocte dieq; facientes opus, ad hoc, ne cui vestrum essemus oneri; non quod id nobis non liceat, sed ut nosmet ipsos formam vobis exhiberemus ad imitandum nos. Quare quam Verbi minister annonam poscit, non est eleemosyna, quæ otiosis datur, sed pro labore officii debita merces, seu ἀλμισία. Qui verò ejus parte aliqua ingratorum vitio defraudatur, is sciat, se olim in cælo fore πολυμισθον multa mercede præditum & ἐτελομισθον, i. e. multam & perfectam mercedem reportaturum esse Matth. VIII, II. Atque huc pertinet illud Pauli Rom. IV, 4. *Ei, qui operatur, merces impuitatur, non secundum gratiam, sed secundum debitum.* Caveant autem ministri, ne in petendis, stipendiis mediocritatis limites excedant, sectantes potius lucrum turpe quam debitam mercedem, quemadmodum *Antisthenes* in sua professione fecit. Nam interrogatus, cur tam paucos haberet discipulos? respondit: *Depello eos virgâ argentea*; magnâ notans se mercede docere.

II. Considerent omnes divini verbi auditores, quid in hac parte sibi facere conveniat. Hic duo sunt notanda: 1. *Causa*, quamobrem docentibus Verbum sacrum debita solvenda sint. 2. *Modus*, quo animo id fieri debeat.

Causæ sunt hæ: 1. exprimitur v. 2. & est *DEI mandatum*, ut in V. T. Deut. XII, 9. & XIV, 27. *Cave, ne derelinquas Levitam omni tempore* Prov. III, 9. *Honora Dominum de substantia tua & primitiis omnium frugum.* Mox additur promissio præmii: *Et implebuntur horrea tua saturitate & vino torcularia tua redundabunt*, Syr. VII, 32. *In omni virtute tua dilige eum, quæ*

te fecit, & ministros ejus ne derelinquas. Et v. 34. da illis partem, sicut mandatum est tibi, scilicet Lev. XXIII. Num. XVIII. Exod. XXIII, 15. Deut. XVI, 16. Non apparebit ante Dominum vacuus. Dicta Novi T. vide Gal. VI, 6. Communicetis, qui catechizatur in verbo, ei qui se catechizat, in omnibus bonis. Et I. Cor. IX, 14. Dominus ordinavit his, qui Evangelium annunciant, de Evangelio vivere.

II. est ipsa aequitas, de qua Paulus 2. Cor. IX, 13. Qui in sacris operantur, quæ de sacrificio supersunt, edunt: & qui altari deserviunt, cum altari participant: Vide plura ibidem argumenta, quibus auditoribus munificentiam erga docentes persuadere laborat: Cujusmodi est: Inductio v. 7. Comparatio minorum v. II. autoritas scripturæ Deut. XVIII, 1. quibus addimus Christi suffragium Luc. X, 7. Dignus est operarius mercede suâ.

III. à necessario sine. Quia cessante munificentia erga ministerium, nemo erit, qui suam DEo operam consecret: Et si ministri coguntur illiberali labore victum quærere, cura rerum sacrarum apud se facile vilescet & extingvetur. Contra si docentibus necessaria suppetunt alimenta, religionis studium florentissimè vigebit.

IV. ab utili seu effectu. Vult DEus sumtus conservando ministerio impensos justa optataque a. l. i. u. d. i. a compensare, sicuti promissio extat Prov. III, 9. & Matth. X, ult. Quicumque potum dederit uni ex minimis istis, calicem aquæ frigidae tantum in nomine discipuli, amen dico vobis, non perdet mercedem suam. Ex-

F fff

em-



empla vide de vidua *Sareptana* 3. Reg. XVII, 14. & de *Sunamitide*. 4. Reg. IV, 17.

II. Notetur etiam *modus* talem munificentiam exercendi. Filii *Israël* sine gravamine dant *Levitis* civitates de possessionibus suis v. 3. Sic qui docentium opera perficiunt in pietatis cultu, prompti ac faciles esse debent ad sublevandam illorum tenuitatem, ut dent 1. cito. 2. libenter. 3. largiter. Nam *bis dat, qui cito dat*. Et *Ausonius* rectè canit:

Gratia, quæ tarda est, ingrata est, gratia namq;

Cum fieri properat, gratia grata magis.

Deinde adfit *æquiva* seu *benefaciendi promittitudo*: Nam *hilarem datorem diligit DEUS* 2. Cor. IX, 7. *Sirac.* XXXVIII, II. *In omni dato hilarem fac vultum*, Cum rebus datis ita sit comparatum, ut & alicujus pretii sint, & fumentibus usui esse possint. Plerique enim de eo, quod vel in suum usum convertere non poterant: vel præter fas acquisiverant: vel alio nomine vitiosum est, solent erga ministros esse liberales: quos *DEUS* objurgat *Malach.* I, 13. *Intulistis de rapinis claudum & langvidum. Nunquid suscipiam illud de manu vestra, dicit Dominus? Maledictus dolosus, qui habet in grege suo masculum, & tamen faciens votum, immolat debile Domino.* Unde *Sir.* XXXV, 14. *Noli offerre munera prava: non enim suscipiet illa.* Intueamur hinc *Israëlitas*, qui non cunctantur *Levitis* prodesse, nec rigidè gravantur: non conferunt domos aliquot, sed civitatum præclarum numerum dant tam citissimè quàm promptissimè.

II. Locus Typicus.

Sacerdotes in urbibus hinc illinc dispersi adumbrant

brant *statum Ecclesie Catholicae*, quæ & ipsa est regale sacerdotium Christi. Pet. II, 9. Apoc. V, 10. & XX, 6. Nec alligata est ad certum & fixum locum, sed in toto orbe terrarum verbo DEI colligitur. Quin imò ut Levitici sacerdotes, licet in diversis urbibus corpore essent se juncti: tamen ejusdem officii communione erant conjunctissimi. Ita verè credentes nihil obstantibus locorum intervallis per ejusdem fidei & charitatis vinculum in unius mystici corporis societatem coalescunt.

III. De Scholis.

Civitates Levitarum nihil fuerunt aliud, quàm liberales officinæ & Scholæ publicæ, pro omnibus eò discendi causa confluentibus, quæ *Plutarchus* in vita Luculli vocat *μυσῶν καὶ γυμνάσια* i. e. *hospitia Musarum*. Hic enim artes excolebantur, & diffundebatur inde vera DEI notitia per universam terram Israëlis. Tanta est scholarum necessitas & utilitas, ut sine illis vera salutis doctrina planè frigeat & intereat.

IV. De veritate divinarum promissionum ex vers. 43.

Tribus argumentis probavit DEUS populo suo veritatem ac fidelitatem.

I. Terram Canaan in Israëlitarum possessionem tradendo, v. II.

II. Bellis confopitis pacem donando v. 44.

III. Gentes in illorum potestatem redigendo v. 45.

Et concluditur caput hoc pulcherrimo *epiphonemate*: *Ne unum quidem verbum, quod illis præstiturum*

Fff 2

rum



rum se promiserat DEUS, irritum fuit, sed de rebus ipsis expleta sunt omnia.

Promissiones DEI veræ sunt potentia & cum conditione eventus seu consummationis, quæ subsequente possunt ad propositionum, quæ indicativæ orationes sunt, veritatem reduci.

Cum autem audimus, DEUM promissiones suas tandem actu ipso certissime explere, concipiamus firmiorem in ipsum fiduciam, nec permittamus, ut aliqua vel in nobis vel in natura *ἀδυναμία* nos ad dubitationem à Verbo abducatur. Nam per impossibilia DEUS suam inprimis conspicuam reddit omnipotentiam.

LOCUS POLITICUS.

De qualitate stipendiorum seu reddituum Ecclesiasticorum.

Ecclesiarum & scholarum ministris, quorum tota vita meditationibus esse debet dedita, commodum est talia stipendia constituere, quæ sine impedimento liberalis otii accipere possint, cujusmodi sunt decimæ & pecuniarum redditus. Nam qui agriculturæ sudore ac labore alimenta quærere coguntur, eos necesse est delectationum studiis haud parum diligentia & industriæ remittere. Quare ut Levitæ à sacris studiis minus avocarentur, jussit DEUS ipsis civitates & suburbana distribuere, non autem villas, quarum administratio multum laboris rustici requirit &c.

CAP.



CAPUT XXII.

Constitutâ jam in pace universâ terrâ, remittuntur 2½. tribus in terram Orientalem, quæ ab initio fratres suos adversus gentes armis adjuvandi causa unâ prodierant, ut audivimus supra cap. 1. Ad devitandam autem & cavendam omnem apud posteros religionis alienæ suspicionem, ædificant in Israeliticæ religionis memoriam, altare prodigiosæ molis. Unde tribus Occidentales Apostasiæ suspicionem animo concipientes bello eas delere cupiunt: Sed de intentatione earum certiores factæ à vindicta sibi temperant consiliis mutatis.

Partes capitis due sunt. 1. est ἀναποιπή i. e. remissio tribuum auxiliarium in terram suam usque ad v. 10.
2. est συμβεβλήν consilium seu institutum arma illis intentandi usque ad finem capitis,

De 1. Parte.

Consideranda hic iterum veniunt duo, 1. forma dimissionis.

2. *Reditus ipse* in patriam v. 9.

Dimittit Josua 2½. tribus 1. cum rerum præclarè gestarum commendatione, cujusmodi est

1. *obedientia* cum sibi, tùm Mosis declarata v. 2.

2. *fidelitas*, quod non reliquerint unquam fratres

v. 3.

3. *pietas*, quod ad imperium Domini se morigeros præstiterint, v. eod. Inferit autem Josue causam dimissionis *ωσωνά* *capitulum* quæ est, quia propter pacem

F ff 3

fra.

